Statuta legenda in Admissione Baccalaureorum in Theologia, ad quorum Observationem singuli tenentur.

Magister Artium sedulus erit Theologicæ atque Hebraicæ Lectionis auditor, quibus rebus annorum septem dabit operam, quo spatio bis disputabit contra Theologiæ Baccalaureum, semélq; post quartum annum respondebit in Theologia, concionabitur Latinè semel, & semel Anglicè in Academiæ Templo, & semel ad Crucem vel in Templo D. *Pauli*, infra annum post gradum susceptum, si legitimè vocatus fuerit, & justâ causâ non impediatur; & semel apud *Burwell* ad assignationem D. Vicecancellarii. Et si hoc in tempore in Theologia profecerit, per solennem inaugurationem Baccalaureus fiat. Si quis cupiens cooptari in ordinem Baccalaureorum Theologiæ, non responderit, nec opposuerit secundùm ordinem suprascriptum, is nihilominus poterit Baccalaureus fieri Theologiæ, si semel Doctori responderit.

Nullus ad interpretandum Canonicas Epistolas admittatur, nisi in sacris ordinibus initiatus, & infra eosdem constitutus, præsentetur Universitati post festum D. *Barnabæ*, & citra festum translationis S. *Martini*.

Singuli qui hîc Gradum aliquem subituri sunt, astrictos & devinctos esse se intelligant, ut Statuta ac hujus Universitatis probatas consuetudines pro viribus observent, útque ejusdem Universitatis pacem nullius rei prætextu perturbent, quin eos qui sic pacem perturbare noverint, ad Cancellarium seu ejus vices Gerentem quamprimùm deferant: quòd denique honorem hujus Universitatis nostræ pro virili augeant, ornéntque.

Quilibet Graduatus dum moram traxerit in nostro municipio, habitum habeat de proprio, Gradui suo competentem, quo inceptionibus illius Facultatis cujus est Scholaris interesse poterit.

Postremò, Statutis nostris cautum est, nè quis hîc ad gradum aliquem admittatur, nisi se obedientem fore Cancellario aut ejus vices Gerenti juraverit, séque sua privilegia renunciaturum in quantum privilegiis & statutis Universitatis contrariantur: Salvâ tamen semper compositione inter Universitatem & Collegium Regale factâ.

Jurabis quòd hæc omnia observâsti & observabis, nisi aliter per gratiam ab Academia concessam dispensatum tecum fuerit, sicut te Deus adjuvet, & sancta Dei Evangelia.

Ex Decret. Academ. *Jun.* 1684.

Jurabis quod in Bibliothecam publicam admissus nihil quod ad ipsam pertinuerit sciens volens corrumpes, aut imminues, nullum librum permutabis, auferésve, aut ipse per te, aut per alium quemvis, nisi eo modo, iisque conditionibus, quæ per Universitatis decreta requiruntur: Quódque sis jure isto tuo sincerè, & bona fide usurus, atque omnino ita ut (quantum in Te est) nihil inde accrescat Bibliothecæ damni, Ita te Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.